

tinctura cuiuslibet corporis. Certum igitur habeas, quòd nulla tinctura fit vnquam, nisi per aquam sulphuris mundetur.

R O S I N I A D S A R-

R A T A N T A M

E P I S C O P V M.



VENERANDE Pater, aures inclina & intellige dicta mea, scilicet quòd materia omnium metallorum, est argentum viuum decoctum, & imperfectum in ventre terræ, calore sulphureo decoquente, & secundum veritatem sulphuream in terra diuersa procreantur Metalla, cùm sit eorum primordialis materia vna, & eandem naturaliter, sola actione, videlicet, maiori & minori, adueniente, vel non adueniente cum temperantia: & in hoc omnes Philosophi cõcordant. Et hoc demonstrabo tibi: quia omnis res est & fit ex eo, in quod resoluitur, vt glacies cùm mutatur, mediante calore in aquam mutatur, ergo prius fuit aqua: sed omnia metalla vertuntur in aquam argenti viui: ergo prius fuerunt argentum viuum. modum autem quærendi, eos in argentum viuum inferius demonstrabo. Hoc posito soluitur opinio eorum qui dixerunt, species metallorum transmutari non posse, verum est vt ipsi dicunt, nisi primo reducantur ad eorum primam materiam. Reductio verò eorum in primam materiam est facilis, ergo transmutatio etiam possibilis. Patet hoc. nam omne crescens vel nascens multiplicatur, vt patet in hominibus, animalibus, arboribus: quia sicut ex vno grano mille grana procreantur, & de vna arbore infinita procedunt, & diuersæ fiunt arbores, etiam sic mineralia multiplicantur cùm in terra nascuntur.

Ex prædictis patet subtili intuitu, Philosophum verum dixisse in suis verbis obscuris, licet autem dicat, quòd lapis noster est ex quatuor elementis, & ipsum elemento comparant, vt postea ostendetur. Qualiter autem ibi quatuor elementa sunt, dixerunt quòd lapis noster est ex corpore, anima & spiritu, & verum dixerunt. nam